



**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

3. Quinam fidejubere possint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

obligationem principalem præcedit; nam mandator dicitur, qui mandat alicui credi, vel cum aliquo contrahit, & id sua fide esse, ubi, id est promittit se solutum, siis, pro quo mandat, non solvat, l. i. 2. §. 6. *spof creditam D. Mandatis.* Fidejussor autem solum alio nomine obligatur, & plerumque sequitur obligationem principalem, quam tamen etiam præcedere potest, *fidejussor inßit. b. 8.*

4. Ab Expromissore verò differt, quod ex promissor, etiam si pro alio obligatur per stipulationem, ita tamen obligatus sit, ut rem principalem liberet. Unde per expromissionem fit novatio, non etiam per fidejussionem, cum principialis maneat obligatus.

5. Denique à corris debendi differt quod correi suo nomine, & quidem principaliter, prominunt, fidejussor pro alio tantum; & quidem accessoriè; unde & ad promissor vocatur.

### §. II.

#### In quibus obligationibus adhiberi possit Fidejussor.

1. *Omni generi obligationum accedere fidejussor potest.*
2. *Etiam ex delicto descendantium, si ad penam agatur pecuniarium*
3. *Fidejussor dotis quando detur.*

**A**dhiberi fidejussor potest in omni genere obligationum, quomodo cumque contracta fuerint, *g. 1. inßit hoc sit. 4. 1. 2. 8. §. 1. l. 26. D. eod.* Nec refert, an obligatio, cui accedit, sit civilis tantum, an naturalis tantum, an civilis & naturalis simul; an Prætoria, an principialis vel accessoria, cum & fidejussor fidejussoris dari possit: an item sit contracta, an contrahenda, *l. Stipulatus. 6. §. adhiberi D. eod.* Num licet fidejusso hec de facto præcedat obligationem principalem, tamen quoad vim suspenditur, docet principialis obligatur.

2. Non refert quoque, an ex contractu, vel quasi, ex delicto vel quasi, oriatur. Salvo, quod in criminalibus non aliter adhiberi possit, quam si agatur ad penam pecuniarium, quia pro criminis pena corporali exsolvenda (cum nemo sit membrorum suorum dominus, *l. Liber homo D. Ad L. Aquilam*) dati fidejussor non potest.

3. Similiter fidejussor dotis, vel pro conser-

vatione dotis, aliter dari nequit, quam si matritus ad inopiam notoriè vergat, *c. Per vestigia inf. De donat. inter virum & uxor.* vel, ut aliqui volunt nisi ultrò à marito offertur. Et ideo dixi fidejussorem rectè adhiberi in omni genere obligationum, quia non in singulis obligationibus adhiberi potest. Quando autem dicitur, posse adhiberi in omni obligatione, hoc ita intelligendum est, ut sit distributio pio generibus singulorum, non autem pro singulis generum, ut loquuntur Dialetici.

### §. III.

#### Quinam fidejubere possint.

1. *Fidejubere omnes possunt, qui obligari.*
2. *Etiam Clericus pro laico.*
3. *Nontamen Religiosus.*

1. **F**idejubere possunt omnes, qui obligati nisi specialiter prohibeantur, ut feminæ, milites, servi, & similes. Ut autem laicos pro laico vel Clerico fidejubere potest, *c. Consecutus h. t. ita vicissim Clericus pro Clerico vel laico, si videat illum de fidejussore labore, c. 1. eod.* quia mutua benevolentia est Clericos & laicos mutuas tradere operas.

2. Nec obstat *cap. 1. b. t. ubi dicitur Clericus ab Ecclesia abiciendus, qui fidejussionibus inservit;* quia id accipendum est de Clerico, qui frequentibus fidejussionibus se immisceret, & consequenter se nimium involvit secularibus negotiis, *can. Te quidem x. 1. g. 1. & Tit. Decretal. No Clerici vel Monachi sacul. neg. se immiscant.* 3. Religiosus tamen fidejubere nequit; nisi impetrat facultatem à suo Prælato, *c. pecc. hostie.* quia velle aut nolle non habet, nisi autoritate Superioris, cui voluntatem suam subjecit. Aded ut ne quidem sibi donatum aliquid accipere valeat, nisi Prælatus annuat, *can. Non dicatis XII. qm. 1.*

### §. IV.

#### Effectus Fidejussionis.

1. *In plus obligari non potest, quam principali debet.*
2. *In maiorem summam ad sumptum teniri pro concurrente.*
3. *Etiam in partem debiti directè adsumitur.*
4. *Accepti simpliciter, si plures sint, singuli insolitum tenentur.*